



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. VII. An uxor debeat sequi domicilium, & debite ad eam alendam à viro
paupere contracta dissolvere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013



§. VI.

Tria de uxore quæsitæ expediuntur.

DE his vide appendicis *numerum 408.*

§. VII.

*An uxor debeat sequi domicilium viri & debita ad eam a-
lendam à viro paupere contracta dissolvere?*

94. **D**icendum primò secluso pacto uxorem teneri sequi Maritum transferentem alio suum domicilium; idque sub culpa mortali, ita ut certum apud omnes tradit Sanch. *Lib. 1. Disp. 41. de matrimon. n. 2. ex cap. unaquaque causa 13. quæst. 2.* vir enim est caput mulieris *ad Ephes. 5.* ergo subicitur viro quoad habitationem ex jure Divino, & ex vi contractûs matrimonialis propter redditionem debiti. Unde secluso viri consensu nulla potest prævalere contraria consuetudo, sicut tamen cum valdè gravi suo incommodo non tenetur reddere debitum, ita cum gravi detrimento non debet Maritum sequi, uti nec si eam vellet pertrahere ad peccatum, ducendo illam ad peccandi pericula E. g. ad hæreticos, ut inter hos vivat: tunc enim prævalet præceptum vitandi peccatum & hujus periculum præcepto cohabitandi.

Dixi in conclusione *secluso pacto*, quia si ante contractum matrimonium intercessit pactum pactum de non mutando

domicilio, non tenetur sequi, nisi mutatio domicilij fieret ex causa valdè urgente, eo enim casu sequi debet, quia pacta cum magna difficultate non obligant, ut ex communi docet Sanchez *Disput. 40.* extendens ad pactum etiam juramento firmatum utpote pro eo casu non obligativum, quia est de re contra bonos mores, nempe de occasione adulterandi respectu utriusque conjugis, si non sibi cohabitarent. Sed teneturne sequi virum, quando uxor potest citra grave incommodum, nec fit mutatio domicilij ex turpi causa sed nec vir habet causam necessariam? *Resp.* Affirmativè cum Sanch. *Disput. 41. n. 5.* Cum plerisque contra Alexandrum de Nevo, quia etsi uxor, & Maritus parificentur quoad reciprocum usum corporis in Dominio, in eo tamen est differentia, quod vir sit caput uxoris, proinde ejus sit domicilium constituere etiam seclusâ causâ urgente, siquidem etiam vir debet sequi uxorem ex causa urgente

gente mutantem domicilium propter Dominium ad debitum conjugale.

Idem tamen Sanch. n. 6. ex recepta sententia deobligat uxorem à sequela Mariti, si hic tempore contracti matrimonij non fuit vagus, aut ignoravit esse talem, illéque vagari vellet; quia obligare uxorem ad vagaandum esset onus gravissimum, nisi antea scivit vagum, nihilominus contraxit, tunc enim sibi imputet.

95. Quoad secundam partem paragraphi quaestio gravissima est, quando defuncto viro nulla hujus supersunt bona, an vidua relicta ex suis proprijs teneatur solvere debita à viro contracta ad ipsam, & familiam alendam, nempe ad solvendam familiarium mercedem, domus conductionem, vestes, cibaria, &c.

Decisioni præmittendum est, quod Maritus inops non teneatur alere uxorem, ita plerique cum Sanch. *Lib. 9. de Matrim. Disput. 4. n. 27.* quia non tenetur uxori ultra, quàm facere possit, *Leg. etiam & Leg. maritum ff. soluto matrimonio*, imò si uxor dives est, debet alere pauperem Maritum *L. si cum dotem 23. §. si maritus ff. eod.*, ibi: *quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse.*

Quamvis autem inops maritus non teneatur alere uxorem, filiosque, hæc tamen obligatio non extinguitur, sed suspenditur pro inopis tempore, sicut quisque debitor intra tempus inopis non est deobligatus ab onere solvendi debita, sed tantisper suspenditur obligatio. Ratio quia si post inopiam viri hic acquireret media solvendi debita tempore inopis contracta pro alimentis uxoris nemo ob-

ligaret hanc ad solutionem sic contractorum debitorum, sed vir adstringeretur, ergo obligatio alendi non fuit extincta, aliàs non revivisceret. Hoc supposito.

Dicendum secundo uxorem deobligatam esse à præfatis debitis solvendis secundum mihi probabiliorem sententiam multorum cum citato Sanchez n. 29. contra Fagundez *Lib. 4. in Decal. c. 9. n. 18.* & multos apud Sanch. n. 28. fatentem valde probabiliter eos loqui, quibus, & ego assentior. Primò in casu quo matrimonium est celebratum medietate bonorum, hoc est, ita ut lucra sint communia viro, & uxori, tunc enim etiam medietas onerum nempe debitorum spectat ad uxorem, Molin. *Disput. 274. §. addidi maximè, &c.* nisi ante contracta à marito debita uxor renuntiet lucris, quia sicut tunc caret favore, ita liberatur ab onere solvendi debita Molin. *Disput. 435. n. 8. §. tertium est.*

Secundò assentior obliganti sententiæ ad solvendum, quando pauper maritus contrahendo debita pro alimentis familie protestatus est se non alere gratis uxorem, quia pro eo casu non tenetur eam alere (aliàs tenetur ultra posse contracta) ergo non tenetur ære alieno gravari pro ejus alimentatione ergo quantum ejus causa vir insumpsit, tantum hæc tenetur compensare ex suis. Extra hos duos casus.

Probatum efficaciter conclusio: si vir pauper mutuam pecuniam accepisset, eaque priorum creditorum æs solvisset, creditores eam pecunia soluti non tenerentur eam restituere creditoribus posterioribus, ne in subsidium quidem viri inopis defuncti, quia pecuniam non acceperunt titulo lucrativo, sed oneroso, atqui eadem est ratio

ratio de uxore alita a re alieno ab inope viro contracto, ergo.

96. Respondebis esse disparitatem, quod maritus pauper non teneatur alere uxorem, filios, &c. consequenter dum hos, & illam ex mutuo alit, hanc, & illos non alit ex debito, sed ex causa lucrativa: contra creditores anteriores soluti sunt non ex causa lucrativa. Contra enim est, quod sit prorsus eadem ratio pauperis viri comparati ad uxorem, filiosve alendos, & ad creditores, quia est utrisque obligatus, his ad debita solvenda, illis ad alimenta præstanda, propter actualem tamen paupertatem excusatur, tum ab actuali debitorum solutione, tum ab alimentorum subministracione, ergo si creditores hoc non obstante accipiunt debitorum solutionem, non ex causa lucrativa, etiam uxor, & filij accipiunt alimenta non titulo lucrativo, quia etsi excusetur à peccato non ministrando alimenta, attamen debitum eadem ministrandi semper manet, ut præmissi *num. 95.* aliàs si non maneret debitum, hoc etiam postquam sortem pinguiorem, nancisceretur: non teneretur amplius alere uxorem, filios, &c. quia obligatio semel extincta non reviviscit *L. cum ex causa Cod. de remissione pignoris.*

Quid si penes uxorem, & filios pecuniâ mutuo acceptâ res empras existant, an saltem tunc uxor, & filij teneantur, si maritus, aut hujus Pater non sit solvendo. *Resp.* cum Sanch. *n. 29.* in fine negativè, quia nulla est creditoribus actio adversus res mutuâ pecuniâ empras, nec illæ sunt

subjectæ hypothecæ, sed competit sola actio personalis adversus mutuatarium adversus aliquos.

Argumentorum sententiæ oppositæ substantia reducit ad hoc, quod secundum *Legem Ei qui 7. §. alioquin. Codic. quodcum eo, &c.* teneatur in subsidium contrahentis, si res illa sit conversæ in meum commodum. Item secundum *Glossam in legem his solis ff. de conditione indebiti. Verbo Proficit.* Etsi in lege decernatur jus petendi pecuniam competere tantum contra recipientem, secus contra eos, quibus proficit: tamen hæc legis dispositio fallat in subsidium, si recipiens non sit solvendo, & quibus proficit, habeant ex causa lucrativa, prout uxori, & filijs in casu nostro cessit in utilitatem ex causa lucrativa, ac tandem quod uxor, &c. ex re aliena tunc fiat ditior: omnis autem ex alieno ditior teneatur ad restitutionem *Lege. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu.*

Resp. Citatam *Legem Ei qui.* Non habere locum in nostro casu, quia illud mutuum non dicitur verè conversum in utilitatem uxoris & filiorum, urpote eis debitam, consequenter negatur eos accepisse ex causa lucrativa, sed onerosa, nec fieri ditiores ex alieno, sed ex debito, uti ostendit argumentum à nobis factum pro conclusione.

Ex his patet idem dicendum, si propter filios alendos pater inops mutuum accepisset, eos non teneri Patre defuncto debitum contractum exsolvere.

